

## Tekst 1

---

### *Lucretia*

1 Paucis interiectis diebus Sex. Tarquinius inscio Collatino cum comite uno  
2 Collatiam venit. Ubi exceptus benigne ab ignaris consilii cum post cenam in  
3 hospitale cubiculum deductus esset, amore ardens, postquam satis tuta circa  
4 sopitique omnes videbantur, stricto gladio ad dormientem Lucretiam venit  
5 sinistraque manu mulieris pectore oppresso "Tace, Lucretia" inquit; "Sex.  
6 Tarquinius sum; ferrum in manu est; moriere, si emiseris vocem." Cum pavida  
7 ex somno mulier nullam opem, prope mortem imminentem videret, tum  
8 Tarquinius fateri amorem, orare, miscere precibus minas, versare in omnes  
9 partes muliebrem animum. Ubi obstinatum videbat et ne mortis quidem metu  
10 inclinari, addit ad metum dedecus: cum mortua iugulatum servum nudum  
11 positurum ait, ut in sordido adulterio necata dicatur. Quo terrore cum vicisset  
12 obstinatum pudicitiam velut victrix libido, profectusque inde Tarquinius ferox  
13 expugnato decore muliebri esset, Lucretia maesta tanto malo nuntium Romam  
14 eundem ad patrem Ardeamque ad virum mittit, ut cum singulis fidelibus amicis  
15 veniant; ita facto maturatoque opus esse; rem atrocem incidisse. Sp. Lucretius  
16 cum P. Valerio Volesi filio, Collatinus cum L. Iunio Bruto venit, cum quo forte  
17 Romam rediens ab nuntio uxoris erat conventus. Lucretiam sedentem maestam  
18 in cubiculo inveniunt. Adventu suorum lacrimae abortae, quaerentique viro  
19 "Satin salve?" "Minime" inquit; "quid enim salvi est mulieri amissa pudicitia?  
20 Vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo; ceterum corpus est tantum  
21 violatum, animus insons; mors testis erit. Sed date dexteras fidemque haud  
22 impune adultero fore. Sex. est Tarquinius qui hostis pro hospite priore nocte vi  
23 armatus mihi sibique, si vos viri estis, pestiferum hinc abstulit gaudium." Dant  
24 ordine omnes fidem; consolantur aegram animi avertendo noxam ab coacta in  
25 auctorem delicti: mentem peccare, non corpus, et unde consilium afuerit culpam  
26 abesse. "Vos" inquit "videritis quid illi debeatur: ego me etsi peccato absolvo,  
27 supplicio non libero; nec ulla deinde impudica Lucretiae exemplo vivet."  
28 Cultrum, quem sub veste abditum habebat, eum in corde defigit, prolapsaque in  
29 volnus moribunda cecidit. Conclamat vir paterque.  
30 Brutus illis luctu occupatis, cultrum ex volnere Lucretiae extractum manante  
31 cruore prae se tenens, "Per hunc" inquit "castissimum ante regiam iniuriam  
32 sanguinem iuro, vosque, di, testes facio me L. Tarquinium Superbum cum  
33 scelerata coniuge et omni liberorum stirpe ferro igni quacumque dehinc vi  
34 possim exsecuturum, nec illos nec alium quemquam regnare Romae passurum."

35 Cultrum deinde Collatino tradit, inde Lucretio ac Valerio, stupentibus miraculo  
36 rei, unde novum in Bruti pectore ingenium. Ut praeceptum erat iurant; totique  
37 ab luctu versi in iram, Brutum iam inde ad expugnandum regnum vocantem  
38 sequuntur ducem.

*Livius, AUC I 58-59.2*

## Tekst 2

---

*Rome wordt belaagd door de Etrusken.*

1 Cum hostes adessent, pro se quisque in urbem ex agris demigrant; urbem ipsam  
2 saepiunt praesidiis. Alia muris, alia Tiberi obiecto videbantur tuta: pons  
3 sublicius iter paene hostibus dedit, ni unus vir fuisset, Horatius Cocles; id  
4 munimentum illo die fortuna urbis Romanae habuit. Qui positus forte in statione  
5 pontis cum captum repentino impetu Ianiculum atque inde citatos decurrere  
6 hostes vidisset trepidamque turbam suorum arma ordinesque relinquere,  
7 reprehensans singulos, obsistens obtestansque deum et hominum fidem  
8 testabatur nequiquam deserto praesidio eos fugere; si transitum pontem a tergo  
9 reliquissent, iam plus hostium in Palatio Capitolioque quam in Ianiculo fore.  
10 Itaque monere, praedicere ut pontem ferro, igni, quacumque vi possint,  
11 interrumpant: se impetum hostium, quantum corpore uno posset obsisti,  
12 excepturum. Vadit inde in primum aditum pontis, insignisque inter conspecta  
13 cedentium pugnae terga obversis comminus ad ineundum proelium armis, ipso  
14 miraculo audaciae obstupefecit hostes. Duos tamen cum eo pudor tenuit, Sp.  
15 Larcium ac T. Herminium, ambos claros genere factisque. Cum his primam  
16 periculi procellam et quod tumultuosissimum pugnae erat parumper sustinuit;  
17 deinde eos quoque ipsos exigua parte pontis relicta revocantibus qui  
18 rescindebant cedere in tutum coegit. Circumferens inde truces minaciter oculos  
19 ad proceres Etruscorum nunc singulos provocare, nunc increpare omnes:  
20 servitia regum superbiorum, suae libertatis immemores alienam oppugnatum  
21 venire. Cunctati aliquamdiu sunt, dum alius alium, ut proelium incipiant,  
22 circumspectant; pudor deinde commovit aciem, et clamore sublato undique in  
23 unum hostem tela coniciunt. Quae cum in obiecto cuncta scuto haesissent, neque  
24 ille minus obstinatus ingenti pontem obtineret gradu, iam impetu conabantur  
25 detrudere virum, cum simul fragor rupti pontis, simul clamor Romanorum,  
26 alacritate perfecti operis sublatus, pavore subito impetum sustinuit. Tum Cocles  
27 "Tiberine pater" inquit, "te sancte precor, haec arma et hunc militem propitio

28 flumine accipias." Ita sic armatus in Tiberim desiluit multisque  
29 superincidentibus telis incolumis ad suos tranavit, rem ausus plus famae  
30 habituram ad posteros quam fidei. Grata erga tantam virtutem civitas fuit; statua  
31 in comitio posita; agri quantum uno die circumaravit, datum. Privata quoque  
32 inter publicos honores studia eminebant; nam in magna inopia pro domesticis  
33 copiis unusquisque ei aliquid, fraudans se ipse victu suo, contulit.

*Livius, AUC II 10*

## Tekst 3

---

*De Griekse geschiedschrijver Dionysius van Halicarnassus schrijft het volgende over Horatius Cocles:*

1 Toen hij al door vele projectielen getroffen was en een groot aantal wonden op  
2 vele plaatsen van zijn lichaam had, sprong hij, toen hij degenen achter hem  
3 hoorde schreeuwen dat het grootste deel van de brug was afgebroken, met  
4 wapens en al in de rivier en toen hij de stroom met heel veel moeite was  
5 overgezwommen, dook hij op de andere oever op zonder dat hij tijdens het  
6 zwemmen ook maar één wapen had verloren.

## Tekst 4

---

*De Romeinen zijn in oorlog met de Latijnen en voeren onder leiding van Titus Manlius een verkenningsactie uit.*

1 Forte inter ceteros turmarum praefectos qui exploratum in omnes partes dimissi  
2 erant, T. Manlius, consulis filius, super castra hostium cum suis turmalibus  
3 evasit, ita ut vix teli iactu ab statione proxima abesset. Ibi Tusculani erant  
4 equites; praeerat Geminus Maecius, vir cum genere inter suos tum factis clarus.  
5 Is ubi Romanos equites insignemque inter eos praecedentem consulis filium -  
6 nam omnes inter se, utique illustres viri, noti erant - cognovit, "Unane" ait  
7 "turma Romani cum Latinis sociisque bellum gesturi estis? Quid interea  
8 consules, quid duo exercitus consulares agent?" "Aderunt in tempore", Manlius  
9 inquit, "et cum illis aderit Iuppiter ipse, foederum a vobis violatorum testis, qui  
10 plus potest polletque."

*Livius, AUC VIII 7.1-5*

## Aantekeningen

- regel 1 **turma** ruiterafdeling  
**exploratum** op verkenning
- regel 2 **turmalis** ruiter
- regel 3 **evado** een heuvel oprijden  
**vix teli iactu** nauwelijks een speerworp afstand  
**statio** wachtpost  
**Tusculanus** Tusculaans (*De Tusculanen waren bondgenoten van de Latijnen*)
- regel 4 **cum ... tum** niet alleen ... maar ook
- regel 6 **inter se noti esse** elkaar kennen  
**utique** in elk geval  
–**ne** vraagwoord
- regel 7 **turma** ruiterafdeling  
**Romani** Lees: vos, **Romani**,  
**bellum gero** oorlog voeren
- regel 8 **exercitus consulares** *Elke consul had namelijk zijn eigen leger*
- regel 9 **foederum** *In het verleden waren de Tusculanen bondgenoten van de Romeinen geweest*
- regel 10 **polleo** macht hebben